



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis  
Romanorvm Pontificvm**

**Liutprandus <Cremonensis>**

**Mogvntiae, 1602**

Cl. Evgenivs II.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11115**

*anathematis mucrone succidat. ITEM in eadem paulo inferius. Quod tales Episcopos, vel Abbates, vel reliquos clericos nō deuimus, si eorū Missas audimus, vel cum eis oramus, excommunicationem cum eis subimus, quos quidem sacerdotes esse saltem credere, omninò errare est.*

## C I.

## EUGENIUS II.

A. DECCXXIV.

**E**VGENIUS, natione Romanus, sedit annos 4. menses 7. dies 23. Huius diebus Romani iudices, qui in Francia tenebantur captiui, reuersi sunt.

## C II.

## VALENTINVS.

ADCCCXXVII.

**V**ALENTINVS, natione Romanus, ex patre Leontio, sedit mensem vnum, dies 10.

## C III.

## GREGORIUS IV.

ADCCCXXVII.

**G**REGORIUS, natione Romanus, ex patre Ioanne, sedit annos 16. Hic ordinauit Episcopos, presbyteros, diaconos per diuersa loca, numero 185. Hic ciuitatem Ostiæ, quæ vetustate diruta fuerat, à fundamento renouauit, ne Agareni in eo tempore circumuagantes Christianis ibidem morantibus nocere possent, & ipsam urbem Gregoriopolim nominari iussit.

## C IIII.

## SERGIUS II.

A. DECCXLIV.

**S**ERGIUS, natione Romanus, ex patre Sergio regionis quartæ, sedit annos 3. Hic absque iussione **LOTHARI** Imperatoris est ordinatus. Vnde, cum eius consecrationis rumor ad prædicti aures Imperatoris peruenit, indignatus de hac præsumptione filium suum **LVDOVICVM** & Drogonem Metensem Episcopum cum magno exercitu Romam direxit. Qui post multa damna Romanis illata, ipsos Romanos Imperatori fidelitatem iurare fecerunt, & prædictum Sergium post multas contentiones in sede demum confirmauerunt: qui prædictum filium Imperatoris in regem Longobardorum vnxit. Huius pontificis fuit frater, Benedictus nomine, brutus & valde stolidus, qui propter pontificis imbecillitatem,  
Ecclesia-